



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

24. de adiutorio per quod homo ante lapsum stare potuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

ex auditu percipitur, quo modo absens à cre-
dentibus quæritur: sed quadam interiori in-
spiratione, qua Dei præsentiam contēplaba-
tur: non tamen ita excellenter, sicut post hāc ^{1. 61. 11}
vitam Sancti visuri sunt: neque ita in ænig-
mate, qualiter in hac vita videmus. Porro
sui cognitionem talē accepit, ut & quid de-
beret superiori, & quid æquali & inferiori,
non ignoraret: Conditionē quoque suam &
ordinē, scil. qualis facta esset, & quāliter in-
cedere deberet, quid agere, & quid cauere,
intellexit. Si horum noticiam nō habuisset,
non esset reus prævaricationis. Accepit enim
scientiam & præceptum eorum quæ facien-
da erant: sed non habuit præscientiam eo-
rum quæ futura erant. Non fuit ergo præ-
scius sui casus, sicut & de Angelis diximus, ^{Lib. II. cap. 18.}
secundum August. sup. Gen.

Adā diui
nā essentiā
videbat.

Homo non
præsciuit
casum suū.

DE ADIVTORIO PER QVOD
homo ante lapsum stare potuit.

D I S T I N C T. Vigesima quartæ
C A P. Primum.

Per potentiam naturalem homo ante
lapsum potuit peccatum vitare.

Sciendū est igitur quòd homini in crea-
tione (sicut de Angelis diximus) datum
est per gratiam auxilium, quod utique
fuit libertas arbitrij incorrupta, & volunta-

ris atque omnium potentiariū naturalium animæ sincera rectitudo, & collata potentia, per quam poterat stare, id est non declinare ab eo quod acceperat: sed non poterat tantum proficere, vt per gratiam creationis sine alia salutem mereri valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed non perficere bonum. Poterat quidem per illud bene viuere quodammodo, quia poterat viuere sine peccato: sed non poterat sine alio gratiæ adiutorio spiritaliter viuere quo vitā mereretur æternā.

Lib. de
na. &
gra. c.
II. Vnde August. ait: Si hoc adiutorium vel angelo vel homini, quàm primū facti sunt, defuisset: quoniam si talis natura facta erat, vt sine auxilio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidisset. Defuisset quippe adiutorium, sine quo manere non posset. Rectam itaque & bonā voluntatem habuit: quia nec aliquid mali ea tunc volebat: & ad tempus stare voluit, licet non perseueranter.

*Obiectio contra illud quod dictum est,
hominem non potuisse proficere.*

Si dicas, Per illud auxilium creationis potuit resistere suggestionibus malis: Resistere autem talibus meritum est: Per gratiā ergo creationis potuit ad meritū proficere sine alio gratiæ auxilio. Ad quod dicimus, q̄ resistere malo, & nō cōsentire tentationi, non

27.

Stetisse an fuisset illi meritum, etiam si nō consensisset,
gelis non quia nihil in eo erat quod ad malum impel-
fuit meri- leret. Sicut angelis qui non ceciderunt, nec
tum. fuit meritum quōd steterunt, id est quōd nō
 corruerunt. Vbi enim non interuenit causa
 ad malum nos impellens, non meremur si ab
 eo declinamus. Declinare enim à malo sem-
 per vitat pœnam, sed non semper meretur
 palmam.

CAP. Secundum. *Quid liberum
 Arbitrium.*

lib. 4. d. arb.

Liberum arbitrium est facultas rationis
 & voluntatis, qua bonum eligitur, gra-
 tia assistente, vel malum, eadem desi-
 stente. Et dicitur liberum quantum ad vo-
 luntatem, quæ ad vtrumlibet flecti potest.
 Arbitrium verò quantum ad rationem, cu-
 ius est discernere inter bonū & malū. Quo
 patet q̄ bruta non habent liberū arbitrium,
 quia ratione carent: habent tamē sensum &
 appetitum sensualitatis. Etiam hinc collige,
 quōd in anima rationali licet sit volūtas na-
 turalis ad bonum, tenuiter quidem & exili-
 ter, idem tamen efficaciter velle non potest,
 nisi gratia Dei sit adiuta. Sed per se malum
 efficaciter potest.

CAP. Tertium. *Quid sensuali-
 tas, quid ratio, &*

quotūplex.
lib. 4. d. 21. cap. 1. & 2.
in lib. 3. d. 27. cap. 7. p. 701 b.

12. de
 Trin.
 (ap. 1)

Sensualitas quædam vis est animæ inferior, ex qua est motus qui intenditur in corporis sensus, atque appetitus rerum ad corpus pertinentium. *Sensualitas*
Ratio
 Ratio verò vis est animæ superior, quæ (vt ita dicamus) duas habet partes vel differentias, superiorem scilicet & inferiorem. Secundum superiorem supernis conspiciendis vel consulendis intendit. Secundum inferiorem (quæ in scripturis sæpe nomine sensualitatis intelligitur) ad temporalium dispositionem conspiciunt. Vnde Aug. Videmus vbi sit quasi quoddam hominis exterioris interiorisque confinium. *Quid homo interior et exterior.*
 Quicquid enim habemus in animo commune cum pecore, rectè dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus exterior homo deputabitur: sed de adiuncta quadam vita sua, qua per compages corporis & sensus instructus est ad exteriora sentienda. Ascendentibus ergo introrsum quibusdã gradibus considerationis per animæ partes, vbi incipit aliquid occurrere quod nobis non sit commune cum bestiis, ibi incipit ratio, vbi homo interior iam possit agnosci.

C A P. Quartum. Peccatum multipliciter fit, scilicet in sensualitate & in ratione, & quodam ordine consummatur.

R

1
2
3
4
Analogia
S I ergo in motu sensualitatum peccati illecebra teneatur, veniale ac leuissimum est peccatum. Si vero pars inferior rationi consenserit, ita ut sola cogitationis delectatione sine voluntate perficiendi teneatur, idque si non diu, veniale peccatum est: si diu vero, mortale. & si adsit plena voluntas perficiendi, tunc damnabile & graue peccatum consummatur. Nam sicut serpens suasit mulieri, & mulier viro: ita & in nobis sensualis motus cum illecebra peccati conceperit, quasi serpens suggerit mulieri, scilicet inferiori parti rationis, id est rationi scientiae, quae si consentiret illecebrae, mulier edit cibum vetitum. Post de eodem dat viro, cum superiori parti rationis, id est, rationi sapientiae, eandem illecebram suggerit. Quae si consentit, tunc vir etiam cum foemina cibum vetitum gustat. Hae Aug. ita tradit: Sicut in illo coniugio primorum hominum serpens manducandum persuasit, mulier autem sola non manducauit, sed viro suo dedit, & simul manducauerunt: Ita & in quodam secreto coniugio, quod in vno homine geritur & dignoscitur, cum rationi scientiae, quae in rebus temporalibus agendis ratiocinandi viuacitate versatur, animalis sensus ingerit quendam illecebram, tunc velut serpens alloquitur foeminam. Huic autem illecebrae consentire, est de ligno vetito edere. Sed si iste consensus sola cogitationis delectatio

Lib. 12
de tri.
cap. 12

f. 115. a
Summa
libra.

ne contentus est, superiori vero auctoritate ita retineantur membra, ut non exhibeantur arma iniquitatis peccato: sic habendum existimo, velut lignum vetitum mulier sola comedere. Si autem in consensu illo ita decernitur quodque peccatum, ut si sit potestas, in opere compleatur, intelligenda est mulier dedisse viro suo simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suauiter, verum etiam perpetrandum efficaciter mente decerni: nisi & illa mentis intentio, penes quam summa potestas est, membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi, malae actioni cedat, &c.

DE CONDITIONIBVS
Liberi Arbitrij.

DISTINCT. Vigesimaquinta
CAP. Primum.

Liberum Arbitrium ad praesens vel praeteritum non refertur, sed ad futura contingentia, sed non ad omnia.

Quod enim in praesenti est, determinatum est, nec in potestate nostra est, ut tunc fit vel non fit quando est: potest enim non esse vel aliud esse postea, sed non potest non esse dum est, vel aliud esse dum est, id est quod est: sed in futuro an hoc fit vel illud, ad potestatem liberi arbitrij spectat. Nec tamen omnia futura sub potestate liberi arbitrij

R ij

*ad hunc librum
ar. 6.*